



**AMILLVS**  
**CAETANVS, DEI,**  
& Apostolicę Sedis gratia,

Patriarcha Alexandrinus, & Sanctissimi Domini nostri Domini Clementis diuina Prouidentia Papę Octauii, eiusdemque Sedis in Hispaniarum Regnis cum potestate Legati de latere Nuncius, iuriumque Camerę Apostolicę Collector generalis. Ad perpetuam rei memoriam. His, quę inter Christi fideles quoslibet concordia terminata fuisse dicuntur, ne in recidiuę contentionis scrupulum relabantur, sed firma perpetuę, & illibata persistant, libenter cum à nobis petitur Apostolico munimine roboramus. Sanę exhibita nobis nuper pro parte venerabilis in Christo Patris Antonij moderni Episcopi, necnon dilectorum etiam nobis in Christo Decani, Canonicorum, & Capituli Gadiceñ. petitio continebat, quod aliàs dudum lite, & causa verente in sacro Rotę Auditorio coram R. P. D. Magistro Seraphino Oliuario sacri Palatij Auditore, inter venerabilem in Christo Patrem Garciam tunc Episcopum Gadiceñ. ex vna; necnon Decanum, Canonicos, & Capitulum prædictos partibus ex altera, de & super iure administrandi redditus fabricę Ecclesię Gadiceñ. necnon decimales totius Gadiceñ. Diocesis, rebusq; alijs in actis causę, & causarum huiusmodi latius deductis, & illorū occasione in prima, seu alia veriori instantia, idem R. P. D. Magister Seraphinus in causa huiusmodi procedens, suam tulit sententiã definitiuam. per quam administrationes fabricę, & reddituum huiusmodi Episcopo, & Capitulo in simul, & coniuñctim competere pronunciauit, quę quidem sententia per Illustrissimum, & Reuerendissimū dominum Scipionē Lancellottū S. R. E. Cardinalem tunc in minoribus constitutum eiusdem Palatij Apostolici Auditorem, confirmata fuit, & forsan etiam in rem transiue iudicatam. Cum autem postmodum de & super modo, & forma sententię prædictas exequēdi, & administrationes communiter exercendi diuersę ortę fuissent lites, & differentię, & materię quęstionis, Reuerēsus Pater Dominus Magister Laurentius Blanchettus eiusdem Palatij Apostolici similiter Auditor in dicti Illustrissimi, & Reuerendissimi Cardinalis Lancellotti locum subrogatus, & inspectus, diuersas declarationes, seu decreta fecit, & pronunciauit

quorum quædam fuerunt à partibus acceptata, & executioni deman-  
data, quædam verò non, vnde diuersæ de nouo suscitatae fuerunt dif-  
ficultates, pro quibus sedandis, & amicabiliter componendis in eadem  
supradictas Antonius modernus Episcopus, ac Decanus, Canonici,  
& Capitulum prædicti ad evitandum vltiores litium anfractus,  
laboribusq; & expensis parcendum, ad certa inter se deuenerunt cõ-  
cordiæ, transactionis, constitutionum, & statutorũ Capita, per quæ  
sententijs prædictis inherendo, forma communium administratio-  
num, & executionis fuit stabilita: quorum quidem capitulorum ten-  
nor est, qui sequitur, videlicet. IN DEI NOMINE, AMEN.  
Nos don Antonius Zapata Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episco-  
pus Gadiceñ. & Algeziræ, Regis domini nostri Consiliarius, ac Deca-  
nus, & Capitulum sanctæ Ecclesiæ Gadiceñ. in loco solito capitula-  
riter congregati per cedula[m] ante diem ad hunc effectum vocati, vi-  
delicet Doctor don Rodericus de Villauicencio Decanus, & Cano-  
nicus Præsident, Don Christophorus Maria Thesaurarius, Don Fer-  
dinandus de Aguayo Archidiaconus de Medina, necnon Ioannes de  
Ochoa Termineli, Nonnius de Villauicencio, Doctor Aluarus Arias,  
Licenciatus Franciscus Moreno Canonici, necnon Petrus Diaz Zarco,  
Doctor Franciscus Fernandez Beltran, Dominicus de Hecherreaga,  
Martinus de Gaya, Ferdinãdus Ramirez de Carragena, Christopho-  
rus Saluador, Alfonso Cauallero, Didacus de Lara, & ego Petrus  
Franciscus de Fresco, Michael de Vara Caeta, & Ioannes Muñoz Por-  
tionarij, dicimus, quòd ex quo inter Reuerendissimum D. Garciam  
de Haro quondam Episcopum Gadiceñ. ex vna, & nos Decanum,  
Capitulum prædictos partibus ex altera, quàm plurimæ lites versæ  
fuerunt de & super administrationibus, tam reddituum decimalium  
huius diocesis, quàm bonorum fabricæ huius Ecclesiæ, necnon pro-  
uisionibus quorundam officiorum, rebusq; alijs, ac desuper in Rota  
Reuerendissimus D. Seraphinus Oliuarius Razalius Sanctissimi D.  
N. Rotæ Auditor suam prorulit sententiam, in cuius executionem  
ad fauorẽ prædicti domini Garcie de Haro fuerunt relaxatæ execu-  
toriales, quibus sibi adiudicatũ fuit ius redditus decimales, ac bona  
fabricæ prædictæ administrandi insimul vnà cũ Decano, & Capitulo  
prædictis, itadẽ à R. P. D. Laurétio Blanchetto prædictæ S. D. N. Rotæ  
Auditore de & super modo, & forma dictas administrationes exercẽdi  
duç per viã cõcordiæ emanarũt declarationes, quarũ quidẽ nonnullæ  
fuerũt executioni madata; quædã verò nõ fuerũt receptæ, neq; admisse

vnde eadem quæ antea, aut parum minor resultauit confusio, & cetera est occasio futurarum differentiarum, ac litium inter Episcopum, & Capitulum vnde in diuini cultus diminutionem, ac huius sanctæ Ecclesiæ præiudicium nõ parua sequuntur inconueniẽtia: Proinde Nos Don Antonius Zapata Episcopus prædictus, ijs occurrere volentes vt in prædicta nostra sancta Ecclesia vigeat perpetua pax, ad maiorem altissimi famulatum, confidentes prout de sancto zelo, ac prudentia fratrum nostrorum Decani, & Capituli prædictorum confidimus, & considerantes quantum intersit, quòd officia, & redditus prædicti, eorumq; administrationem spectantia, conferantur personis notis, quas omnino speretur munere suo suacturas, quòdq; pro bona prædictorum reddituum administratione, ac officiorũ prouisione opus est longa rerum experientia, ac otio; cui rei Episcopus pro tempore existens difficulter vacare posset, tum quia continget eum habere parũ cõmertiũ cum personis de officijs prædictis prouidendis; tum etiã quia grauioribus rebus occupatus erit, ad ijs, & alijs inconueniẽtibus obuiandum, post diuersos tractatus deputatorum Decani, & Capituli prædictorum, nobiscum super contentis in hoc instrumento habitis, postquam varias desuper Capituli in ædibus suis Capitularibus habitas congregationes: tandem cum prædictis nostris fratribus Decano, & Capitulo, etiam per viam concordia, ac alijs omnibus melioribus via, & forma quibus de iure locus esse possit, statuimus capitula infra scripta.

- 1 In primis, quòd administratio reddituum decimalium huius Gadiceñ. diocesis, in posterum ad prædictos Decanum, & Capitulum pertineat, modo, & forma infra dicendis.
- 2 Quòd carta, seu cartæ de hazimientos de rentas nuncupatæ, hodie ordinatæ, seu in posterum ordinandæ, stabiliantur sub nomine, & de communi consensu Episcopi, & Capituli, & ab vtraq; parte subscribantur.
- 3 Quòd decima panis colligatur per fideles, prout hæctenus factum fuit, quodque ia hoc sine Episcopi, & Capituli consensu nihil immutetur: in modo verò, loco, & tempore recolligendi, Capitulum solum sine Episcopo, quod sibi magis expedire videbitur, ordinare possit.
- 4 Quòd Capitulum sine Episcopo omnia officia ad præsens erecta ad redditus, & beneficiũ decimæ panis prædictæ spectant. prouideat videlicet, duos factores reddituũ, duos computatores maiores ( qui

- quidem quatuor debeant esse Præbendati huius sanctæ Ecclesiæ) alium etiam computatorem reddituum nuncupatum repartitores de las cillas, fideles Collectores, equites agri, coacervatores, mensores, quorū officialium prædictorum numerū possit in singulis locis augere; vel minuire, prout respectu negotiorum, sibi necessarium videbitur; similiter quādo sibi beneuolum fuerit, pro bona mensis administratione, vel pro cæterorum officialium uisitatione, vel pro reddituum utilitate aliquas particulares diligentias facere, possit deputare personā, seu personas, eisq; expensis partium pro personarum, seu personæ, ac laboris qualitate soluere salarium.
- 5 Quod in prædictorum reddituum administratione non possint erigi noua officia sine Episcopi, & Capituli consensu: si tamen ea erigi consenserint, illorum, prout cæterorum, supradictorum, prouisio ad solum Capitulum spectet.
- 6 Quod deputatio supradictorum officiorum, & mandatum factoribus dandum fiat sub nomine Decani, & Capituli iniuncto eis, ut seruent cartam de hazimientos.
- Quodq; si computatoriæ expedire videbitur factoribus prædictis dare in instructionem cū particularibus aliquibus aduertentis circa suspensionem, aut factionem reddituum, aut ut redditus unius loci fiant in alio, aut ut remittatur, vel suspendatur illorum deliberatio, aut ut aliqua illorum pars recolligatur per fideles, id prædicta computatoria etiam inconsultis Episcopo, aut Capitulo facere possit, & prædicti factores teneantur seruare orationem in dicta computatoria, sibi dandam, nisi executionis tempore inuenerint adesse inco- uenientia, quæ referent in computatoria.
- 7 Quod Capitulum percipiat emolumenta omnium morapetino- rum de los hazimientos de pati nuncupata: emolumenta uero de los hazimientos de marauedis æquis portionibus diuidantur inter Episcopum, & Capitulum, ita tamen, ut Episcopus nullatenus teneatur ad solutionem salarij, vel ayuda de costa, ex causa perceptionis prædictæ medietatis de los hazimientos de marauedis.
- 8 Et quia pro bona executione officij factorum reddituum expedit, ut sibi detur facultas comminandi censuras aduersus contumaces, & procedēdi contra collusores, aut prædictorum reddituum defraudato- res, proinde personis, & Capitulo ad officium prædictū deputandis, & cuilibet eorum in solidum, ex nunc prout ex tunc, datur facultas, comminandi censuras, & circa prædicta, aut similia delicta ad reddis

tus prædictos spectantia capiendi informationes processus ad Pro-  
uiforem pro tempore existentem ad effectum, vt forma infra dicenda  
procedat remittendo.

- 9 Quòd Capitulum de suo soluat salarium, & ayuda de costa factori-  
bus reddituum dandum absq; eo, quod Episcopus, vel alius teneat-  
tur in hoc contribuere, quia ad hunc effectum Capitulum percipit,  
los hazimientos de pan, & medietatem de los hazimientos de mara-  
uedis: & quamvis Episcopus (vti suprascriptum est) percipiat alteram  
medietatem morapetitorum, declaratur tamen eum non teneri in  
aliquo contribuere pro solutione factorum suprascriptorum.
- 10 Quòd in computatoria Capituli singulis annis expensis partitū  
assignentur salaria reddituum prædictorum administratoribus per-  
soluenda, idq; executioni mandetur cum declaratione, quòd duo cõ-  
putatores maiores non lucentur salarium, sed distributionem pro  
diebus, quibus assident in computatoria, cuius distributionis forma,  
& quantitas ordinetur arbitrio Capituli: & quia necesse est, vt Capi-  
tuli Secretarius pro tempore existens similiter in dicta computatoria  
assidat, possit Capitulum expensis partium eidem Secretario assignare  
portionem per eum percipiendam, quæ consistat in distribu-  
tione, prout portio computatorum maiorum.
- 11 Quòd non adsit, nisi vnus computator reddituum; cuius promissio  
(vt supra dictum est) ad Capitulum spectet, eiq; detur salarium com-  
putatoriæ beneuifum.
- 12 Quòd iste computator reddituum teneatur singulis annis dare  
Episcopo vnā copiam repartitionum panis, & expensarum, & al-  
teram morapetitorum, & subscribere matriculas pro exactione por-  
tionis Episcopi necessarias, idq; gratis: quo præmissa facere negligē-  
te, Episcopus possit eiusdem sumptibus ex salario defalcatis depu-  
tare alium, qui vice ipsius præmissa exequatur.
- 13 Quòd prædictus computator reddituum teneatur suo tempore  
facere, & scribere computa fabricæ, & pro exactatione reddituū fa-  
bricæ dare instrumenta, & matriculas necessarias, idq; gratis.
- 14 Et quia in hac ciuitate adest fundatum seminarium pro seruitio  
huius sanctæ Ecclesiæ, cuius respectu fabrica exoneratur à multis ex-  
pensis, & Capitulum exinde percipit vtilitatem: statuitur, quòd com-  
putator prædictus similiter teneatur gratis facere computa prædicti  
seminarij, quādo ab Episcopo sibi mādabitur, & œconomo, vel Rec-  
tori seminarij prædicti dare gratis matriculas pro exactatione suorum

reddituum necessarias, & prædicto computatore in contentis in his duobus Capitulis deficiente Episcopus nomet personam, quæ id ipsius sumptibus adimpleat.

- 15 Quod clauæ computatoriæ, in qua custodiuntur omnes scripturæ administrationem reddituum concernentes sint pœnes personam, seu personas à Decano, & Capitulo nominatas.
- 16 Quod in cõputatoria (in qua assistere debeant Decanus pro tẽpore existens huius sãctę Ecclesię, si voluerit, eoq; absente, vel ab Ecclesia excusato, Præsides Capituli, duo computatores maiores, computator reddituum, & Secretarius Capituli) examinẽtur cautiones Vicariorũ, quasq; Vicarij ab arrendatoribus, eorumq; fideiussoribus acceperint matriculę, & padrones del pan nuncupatę, cõteraq; ad redditus prædictos spectantia, & quod ibidem circa cautionum Vicariorum, ac aliorum idoneitatem, & formam, & an alias aliquas diligentias adhibere conueniat, decretum fuerit, id executioni mandetur, nisi Episcopo, & Capitulo aliud visum fuerit.
- 17 Quod occurrentibus litibus pro reddituum prædictorum defensione, recuperatione, vel acquisitione discutiantur in prædicta computatoria, in qua si eas prosequẽ. decerneretur, Capitulum det mandatum procurę & in locis, in quibus opus fuerit, deputet aduocatum Procuratorem, & sollicitatorem, eisq; soluat salarium, sibi beneuolum expensis interesse habentium, & eorundem expensis fiant cõteri sumptus necessarij Priusquã tã ista executioni mandẽtur, dabunt notitiam Episcopo, quæ etiam sibi danda erit in progressu litium, quas si Episcopus senserit non esse prosequendas: Capitulo ab eo discordante, recurratur ad Metropolitanum, prout in cõteris casibus discordię.
- 18 Quod computatores annuatim per Capitulum nominandi vnã cum Prouisore, aut persona per Episcopum nominanda sint iudices omnium litium inter arrendatores, aut tertiarios verteẽ. de & super exactiõne reddituum decimaliũ, & alia quacumq; dubietate, ac cõtrouersia circa redditus emergẽ. cuius determinatio pendeat ex declaratione alicuius Capitali. De la carta de hazimientos, necnõ causis mouendis contra eos, qui collusiones, fraudes, aut facta commiserint circa redditus prædictos, & administrationem panis, necnon dãna quorumcumq; reddituum, in quibus omnibus procedatur modo infra scripto, videlicet, in casibus collusionis, fraudis, & bonorum diminutionis, Capitulum possit committere causam, & si sibi videbi-

tur mittere aliquem expensis partium, qui instruat processum, instructumque consignet Prouisor coram quo, & Notario audientiæ in causa procedatur ex officio vsq; ad diffinitiuam exclusiue: ceteræ vero causæ inter partes instruantur coram Prouisore, & Notario audientiæ, & conclusæ, tam istæ, quàm illæ deferantur ad computatoriam, in qua Prouisor vnà cum Decano interesse volente, vel eo à ciuitate absente, vel ab Ecclesia excusato vnà cum Præsidente, ac duobus computatoribus maioribus diffiniat seruata hac forma, videlicet, quòd si fuerint bini ex vtraq; parte, tunc illorum votum, cui Prouisor adhæserit, sententiam faciat, sin autem indiffiniendo duo, tantùm vnà cum Prouisore interfuerint, & vnus eorum Prouisori adhæserit, ille similiter sententiam faciat: si verò neuter illi adhæserit, tunc Episcopus, vel persona per eum nominanda causam diffiniat.

19 Et quia Vicarijs locorum incumbit onus idoneas cautiones ab arrendatoribus accipiendi, & iisdem tenentur de indemnitate reddituum, statuitur, quòd Vicarij prædicti infra mensem à die illorum provisionis teneantur præstare cautiones idoneas ad beneplacitum computatoriæ, easq; quando sibi mandabitur renouare quodq; in titulis suarum provisionum apponatur conditio, quòd eas infra terminum prædictum præstare teneantur, & Episcopus ad id eos compellat, aut officio priuetur: si verò de tempore, quo factores Capituli proficiuntur ad cautionem reddituum Vicarij supradicti, aut illorum aliquis idoneas non præstiterit cautiones, eo casu Decanus, & Capitulum, aut illorum procurator nominare possit, ac nomine personæ, quæ pro dictis redditibus cautiones, & reliqua omnia præter, ad quæ prædicti Vicarij iuxta tenorè cartæ de hazimientos tenebantur, percipiatq; emolumenta, & salaria, quæ Vicarius percepisset, & eueniente in dictis redditibus aliquo damno sit periculo Vicarij cautiones præstare negligens.

20 Quòd non possit quidquam donari, aut remitti arrendatoribus, fideiussoribus, aut reddituum debitoribus, neq; concedi aliqua dilatio solutionis, nisi de consensu Episcopi, & Capituli, & si Episcopus, aut Capitulum aliquid eorum concesserit, non valeat ultra ratam concessorem tangerentem.

21 Concorditer etiã statuimus, quòd administratio bonorum fabricæ huius sanctæ Cathedralis Ecclesiæ pertineat ad Decanum, & Capitulum, seruata in dispositione bonorum forma à iure præscripta, in modo verò procedendi infra dicenda.

---

- 22 In primis, quòd Decanus, & Capitulum prædicti per cedulã ante diem vocati, congregentur in Capitulo prima die post festum sancti Thomæ Apostoli, non impedita, & ante omnia legantur ista Capitula, administrationem, & gubernium fabricæ concernentia, deinde prædito iuramento in cæteris electionibus consueto, eligent ex personis illi tunc Capitulo interessentibus, vel in ciuitate præsentibus personam magis idoneam, sufficientem, zelantem, ac diligentem ad officium operarij fabricæ piæ, & electus, infra triduum acceptet, sub pœna priuationis fructuum suæ Præbendę vnus mensis, nisi allegauerit causam excusationis, quæ maiori parti Capitali per fabas albas, & nigras voranti sufficiens videbitur, & eo casu procedetur ad aliam electionem eisdem modo, & forma.
- 23 Operarius prædictus in præsentia Capitali Cruce, ac sanctis quatuor Dei Euangelijs manu tactis, iuret de bene, & fideliter officium prædictum exercendo, deque omnino seruandis, ijs, quæ continentur in ijs Capitulis, deque non expendendo vltra summam in ijs, sibi permissam, sub pœna solutionis de suo, etiam nulla præiua, condemnatione.
- 24 Operarij prædicti officium duret biennio, quo elapso potest semel, & plurius reelegi, prout Capitulo pro vtilitate Ecclesiæ magis expedire videbitur: & quamvis operarius hæcenus non percipiat salarium: nihilominus Decanus, & Capitulum prædicti, illud assignare poterunt, quando ita expedire videbitur.
- 25 Electio sic facta remittetur ad Episcopum huius sanctę Ecclesiæ, eoq; absente ad Prouisorem, vt eam confirmet, quod si facere recuset, teneatur intra triduum allegare causam quare: quæ per Capitulum visa, si maiori eius parti non videatur legitima, recurretur ad Metropolitanum, eoq; absente ad eius Prouisorem, qui si causam declarauerit legitimam, Capitulum teneatur soluere in vsum fabricæ summam viginti ducatorum, & eligere aliam personam modo, & forma prædictis, & iterum recurrere ad Episcopum pro confirmatione; si vero Metropolitanus confirmauerit electionem per Capitulum factam, Episcopus teneatur soluere in vsum fabricæ summam prædictam viginti ducatorum, ad quorum solutionem tam Episcopus, quam Capitulum teneatur in vtroq; foro, & donec ad hunc nouus operarius, prædecessor exerceat officium.
- 26 Operarius in cuiusq; anni principio exigat rationem omnium rerum ad fabricam huius sanctę Ecclesiæ quomodolibet spectantium



ac illarum teneatur inuentarium cōficere, illasq; eis ad quos ratione suorum officiorum pertinent cōsignare, siue ad sacristiam, siue alios spectent.

27. Propterea superintendat operibus, vel repartitionibus, quibus Ecclesia indigeat, quibusq; rebus opus habeat, vt cōparentur, qua in re, prout sibi benēvisum fuerit, disponere poterit; dūmodo sumptus nō excedant summā quinquaginta ducatorum, in maiori verò summa consulat Capitulum, & exequatur, quod ibidem sibi mandabitur: si verò sumptus excedant summam ducentorum ducatorum, certioretur Episcopus, eoq; absente Prouisor, vt de eius cōsilio, & assensu procedatur, & non aliās, quod quidem non intelligitur de sumptibus ordinarijs, quamvis excedant summam prædictam veluti ceræ, quia in his non tenetur operarius consulere Capitulum, neque alium.
28. Quòd in nouis structuris ædificandis apponantur arma Episcopi pro tempore existentis, subrus verò arma operarij.
29. Opera Ecclesiæ faciendā operarius concordet, eisq; intersit, & superintendat, & curet materialia quam fieri poterit meliori pretio comparari.
30. Habeat curam litium circa fabricæ bonæ pro tēpore vertētū, & si in aliqua earum necesse fuerit talem adhibere diligentiam, cui existens pro tempore fabricæ receptor incumbere nequeat, idem operarius ad id deputet personam cum assignatione stipēdiij, sibi benēvisi.
31. Vt autem operarius maiori cum diligentia diuini cultus zelo, ac fabricæ prædictæ vtilitate rebus, & negotijs eiusdem incumbat, statuimus, quòd præsens in Ecclesia in habitu quo cæteri in choro Præbendati (dummodo in principio horarum se in choro præsentauerit) habeatur in omnibus horis pro intereffente; dummodo in rebus fabricæ occupetur, & non aliās, qua in re consciētiā suam oneramus.
32. Operarius prædictus prouideat officia expulsoris canum, & lampadarij huius sanctæ Ecclesiæ, & ad nutum suū eos recipiat, vel amoueatur, vt officia illa debitè deseruiantur.
33. Cū in Ecclesia fuerit aperiēda aliqua sepultura, operarius corā Secretario Capituli concordet eleemosynam pro ea elargiendam, & deputet locum aperiendum, qua de re maueat nota, quæ consignetur receptori, vt eleemosynas exigat: pauperibus verò liceat sepulturam gratis concedere, super quo consciētiā eius oneramus.
34. Quòd modernus, vel pro tempore existens Secretarius Capituli in eodem officio deseruiat fabricæ, & ad hunc effectum habeat librum,

in quo annotetur omnes, qui à fabrica prædicta salarium percipiunt cum die, mense, & anno eorum receptionis licentiæ, & salariorum augmento, vt iuxta notam prædictam in fine, cuiuslibet tertij conficiatur mandatum eius quod cuiq; debetur.

35 Præterea habeat librum, in quo describar omnia mandata receptori fabricæ dirigenda, & quæ ipse in sui exonerationem redditionis ratio num tempore præsentauerit, confrontetur cum libro prædicto.

36 Insuper teneatur conficere omnia mandata per operarium, sibi iniungenda cum particulari specificatione summæ, personæ, & causæ, & antequam ab operario subscribantur, annotabit illa in libro supra dicto, atq; ita declarabit post subscriptionem operarij, & subscribet.

37 In fine cuiuslibet tertij Secretarius prædictus ab appretatore chori exiget rationem defectuum ab ijs, qui salarium à fabrica percipiunt commissorum, & librum Capitularem inspiciet, an aliquis eorum fuerit multatus, & conficiet mandatû receptori directû pro summa cuiuslibet debita ex computata rata defectuum, vel multatarum, cuius rei in ipso mandato fiat declaratio.

38 Teneatur etiam annotare eleemosynas sepulchrorû, legata Ecclesiæ relictæ, ingressus Præbendorum, eleemosynas ornamentorum, atq; eorum copiam receptori dare ad effectû illa exigendi, eorumq; rationem reddendi.

39 Teneatur etiam interesse computis fabricæ prædictæ, prout inferius declarabitur, & pro labore suo occupatione, atq; expensis percipiet annuatim ex bonis fabricæ tria millia mora pecuniarum, aut magis minus ve, prout Decano, & Capitulo videbitur.

40 Quod Decanus, & Capitulum prima die post prædictum festum sancti Thomæ nõ impedita specialiter ad hoc per cedulam ante diem vocati, eligant in receptorem fabricæ prædictæ personam, quæ non sit de Capitulo, nec alicui huius sanctæ Ecclesiæ Præbendato intra secundum gradum coniuncta, quam fieri poterit, diligentissimam, & fidelissimam, quæ antequam sibi detur facultas administrandi, iuret in Capitulo in forma de benè, & fideliter exercendo.

41 Teneatur dare cautiones idoneas pro summa computatoriæ bene visa, & ad euitanda inconuenientia non acceptetur in fideiussorem aliquis ex Præbendatis huius sanctæ Ecclesiæ.

42 Receptoris officium prouideatur singulis annis si tamen Capitulo videbitur, poterit is, qui hoc officio functus est semel, & pluries reelegi, seruata tamen electionis, & iuramenti forma præfata.

---

43. Receptor statim, vt electus fuerit, teneatur annotare omnia bona fabricæ, & qua fieri poterit diligentia redditus, tam prædiorum, & diu, possessio: am, legatorum, & excusatorum, quam aliorum quorumcumq; ad fabricam quomodo libet spectant. exigere, quia omnia ad ipsum peruenire debent.
44. Teneatur etiam exigere omnia debita difficilis exactiois alba: quias nuncupata, necnon residua præteritorum annorum, qua fieri poterit diligentia, & in fine cuiuslibet anni teneatur reddere rationem omnium bonorum ad fabricam spectantium, in partitis verò non exactis ostendere diligētias de iure debitas in earū exactioe factas, alias enim sibi non fient bonæ, omnium etiam litium pro tempore notitiam dabit operario, & computatori, vt exactius sollicitentur.
45. Teneantur etiam exhibere recognitiones nouorum possessorum pro tempore fabricæ prædictæ tributa persoluentium.
46. Præterea teneatur soluere omnia salariorum, & sumptuum ordinariorum mandata, sibi ab operario dirigenda à Secretario fabricæ subscripta, & annotata, & similiter soluere cætera mandata operarij dummodo in potestate sua habeat pecunias fabricæ.
47. Vt possessionis prædia, ac tributa fabricæ certiora fiat, & clariora operarijs infra biennium teneatur personaliter illa visitare, & inspicere iuxta limites in scripturis distinctos an fabrica sit defraudata, vt in quo fuerit damnificata, curetur omni meliori via restitui, visitationem, vt præmittitur factam, & statum, in quo possessiones prædictas inuenerit, computatori referet.
48. In fine cuiuslibet anni infra mensem Ianuarij proxime sequentis accipiendæ erunt rationes à receptore, faciendo ipsum debitorem omnium bonorum fabricæ, nullius verò rei creditorem, nisi docto de mandato operarij forma superius relata.
49. Accipiendæ autem erunt rationes in computatoria præsentibus, ijs qui assiliter consueuerunt, necnon operario, & computatore reddituum pro ijs scriben. & supportandis quibus computatis antiqui ex computatoribus maioribus summarie referēt in Capitulo sumptus, quaq; in re factos, vt cognoscatur an operarijs seruauerit ordinem hic sibi præscriptum, an bona expenderit in vtilitatem fabricæ, an receptor diligens fuerit in exactioe, & quid debeat, quid ve sibi debeat, & an expediat ipsum, reeligi nenne: & si Capitulum computa prædicta approbauerit, deferentur ad Episcopum pro tempore existentem, eoq; absente ad Prouisorem, reuidenda, & infra octo dies à

die illorum traditionis numerandos approbanda, quibus elapsis intelligatur computa approbasse, nec illa ulterius reprobare possit: si verò infra terminum prædictum illa reprobauerit, deferretur ad Metropolitanum expensis Episcopi, si fuerint per Metropolitanum approbata, expensis verò Capituli si fuerint reprobata; cui quidem Capitulo incumbet onus ea, ad Metropolitanum transferendi, & inquietantia receptori per Capitulum canda Secretarius fidem faciat qualiter Episcopus in casu discordiæ Metropolitanus vnà cum Capitulo approbauerunt computa prædicta: si verò infra mensem prædictum non fuerint acceptæ rationes Episcopus, seu eius Prouisor eas accipiat deputato ad id computatore cum assignatione salarij sibi beneuoli expensis computatorum maiorū, & computatoris reddituum illius anni.

50 Ne verò bona fabricæ deperdantur, aut deterioventur statuendo prohibemus ne Episcopus Capitulum, aut alia aliqua cuiusvis qualitatis persona accipiat pecunias, aurum, argentum, gemmas, ornamenta, materialia, gipsum, calcem, ligna, ferramenta, aut alia quæcumque ad fabricam prædictam spectantia, neque dent, aut dari alicui permittant, nec alienent, commodent, aut alienari, vel commodari permittant, aut in alios vsus quàm fabricæ utilitatem conuertant: sin autem aliquis ex Præbendatis missam extra Cathedralem celebrare velit ornamenta sibi, & ministris sibi deseruituris necessaria commodari poterunt petita licentia à Decano, eoq; à ciuitate absente à locumtenente, qui quicquid sibi comodandum erit, declarabit, & sacrista sub pœna priuationis officij illa non commodabit sine licentia, & declaratione prædictis.

51 Præterea declaramus, quòd ad Decanum & Capitulum vltra iam dicta officia spectet prouisio omnium, tam nunc, quàm pro tempore in Ecclesia existentium officiorum eiusdem Ecclesiæ seruitium concernentium vt potè Magistri Cappellæ musicorum, succentoris, cappellanorum chori, organistę, punctatoris, locumtenentis Magistri ceremoniarum, sacristæ maioris, tibicinum, campanarij, eisq; salaria assignare, augere, & diminuere prout sibi videbitur.

52 Ad Episcopum spectet prouisio officij Magistri ceremoniarum, & Peticarij, quando eumq; vacauerint cum salario eiusq; augmento, vel diminutione sibi beneuolis.

53 Quòd Decanus & Capitulum possit, prout sibi videbitur, disponere de sepulturis Ecclesiæ in consulto Episcopo.

54. Quòd neq; intra neq; extra Ecclesiam concedatur situs pro construenda Cappella, neq; Cappellæ ad præsens, vel pro tempore extantes ad fabricam pertinentes cuiquã concedantur, nisi de consensu Episcopi in scriptis obtento.

55. Similiter sumus concordēs quoad infra scripta.

56. Quòd quotiescumq; Episcopus accessurus est ad Ecclesiam ad assistendum capitulariter cum eiusdem Præbendatis in Capitulo in Ecclesia, vel extra si Præbendati fuerint induti superpellicijs, aut superpellicijs, & cappis, Episcopus veniat indutus cappa, & caputio chori, non autem mantelletto, & manetta, eumque à domo, tam euntem, quàm redeuntem quatuor ad minus Præbendati comitari teneantur, quòd si Episcopus contingat relictis ædibus habitationis hæcenus consuetæ, migrare ad alias ab Ecclesia distantes eo casu præfati quatuor Præbendati eum excipient in porta Ecclesiæ, & discedentem omnes choro interessentes comitabuntur vsque ad Ecclesiæ fores: prouiso, quòd si Episcopo ad chorum, siue Ecclesiã veniente, vel exinde discedente cõtingat recitari aliquam ex horis Canonicijs, vel celebrari officium, Præsident chori nõ discedat, neq; aliquem discedere permittat ultra supradictos quatuor Præbendatos, idq; propter illorum exiguum numerum.

+ 57. Quotiescumque Episcopus fuerit cum Capitularibus in habitu præfato, habeat sibi assistentes duos antiquiores Præbendatos sibi præfatos, vnum videlicet, ex quolibet choro, & loca prædicta non concedat alteri personæ, cuiuscumq; gradus, vel conditionis existat: eũdo tamen ad Ecclesiam, & redeundo liceat illa alicui Episcopo, aut horum Regnorum Magnati, & non alteri concedere.

58. Quoties apponendum erit interdictum, aut cessatio à diuinis Prouisor, aut iudex appositurus teneatur prius intimare Decano, aut Præsidenti, vt cõgregetur Capitulum in quo Notarius causæ referat sum nariè, & oretenus causam quare iuterdictum, vel cessatio à diuinis apponi debeat ad effectum, vt Decanus. & Capitulum illius notitiam habeant, & obseruare curent: quòd si vrgens necessitas non dederit locũ Capitulum congregandi, tunc Notarius prædictus Decano ad minus, aut Præsidenti, nec nõ duobus ex antiquioribus Præbendatis relationem prædictam facere teneatur, quibus domi quæsitis, & non repertis ac ibidem relatione dimissa eam faciet alijs duobus, aut tribus Præbendatis: omnibus verò in illa occasione propter absentiam, vel ex industria deficientibus Prouisor, seu iudex decre-

tam suam executioni mandat.

59. Quandoquidem in ista ciuitate erectum est Collegium Seminarium iuxta decretum sacri Concilij Tridentini sess. 23. c. 18. & propter maximam fabricæ huius sanctæ Ecclesiæ inopiam, necesse est maximam Collegialium partem ordinario seruitio Ecclesiæ prædictæ assistere, ex quo non modicum etiã ipsi proficiunt, tam quoad cantum, quàm quoad missæ, ac diuinorum officiorum ceremonias, nec impediuntur quo minus studijs suis simul incumbant (prout hodie faciunt) statuitur quòd teneantur seruitium prædictũ contiuare eisdem modo, & forma, quibus hodie faciunt, & Collegij prædicti constitutionibus cauetur, quòdque Episcopus non possit hoc impedire.
60. Quòd Capitulum Episcopo inconsulto processiones intra Ecclesiam sibi benenifas dotatas, vel indotatas ordinare possit, quòdque Episcopus illarum numerum augere, vel minuere nequeat.
61. Quòd sine Episcopi, & Capituli consensu processiones extra Ecclesiam non fiant, neque admittatur dotatio, quæ ad eas faciendas obliget, nisi ob maximam causam, & ad instantiam personæ valde illustri, aut in magna dignitate constitutz, & cum notabili dotatione.
62. Quòd particulari casu eueniente, quo Episcopo videatur conuenire, vt fiant processiones, rogatiuæ, orationes, aut missæ, vt potè pro Summi Pontificis electione, pro Regis, Regiæque personæ salute, pro exercitus, aut classis bono successu, pro fructibus terræ, & similibus tunc illud intimare faciat Capitulo, à quo deputentur duo Capitulares, qui vnà cum Episcopo id tractent, quòdque Episcopus vnà cum eis determinauerit, id executioni mandetur: absente verò Episcopo Capitulum determinare, & exequi possit, quod in istis particularibus casibus sibi beneuifum fuerit, Prouisorem de super certiorandò ad effectum vt processioni, leu processionibus alijvè per eos determinatis, si velit, interfit.
63. Quòd Episcopus committat personis sibi beneuifis sermones in hac sancta Ecclesia, vel vbiicumque Præbendari capitulariter conuenierint, prædicandos, exceptis sermonibus festorum Sãcti Sebastiani, Purificationis, sanctissimæ Trinitatis, Sancti Iacobi, Transfigurationis, ac Præsentationis Beatæ Mariæ Virginis, horum enim prouisio spectet ad Capitulum, necnon Dominicæ Palmarum, ac octauæ Epiphaniæ, quæ erit Decani pro tempore existentis, eoque absente ad prouisionem Episcopi, prout reliqui.
-

64. Quòd Episcopus personaliter vnà cum adiunctis sibi beneuolis, vel sine illis possit visitare Capitulum, & personas Capitulares, etiã non adhibitis adiunctis Capituli, in dicta tamen uisitatione non possit à uisitatis iuramenta recipere, neque contra eos, nisi ad solam correctionem procedere, ubi uerò ad punitionem procedendum fuerit, adhibeat adiunctos Capituli iuxta disposita à sacro Concilio Tridentino ses. 25. c. 6.
65. Quòd Capitulares huius sanctæ Ecclesiæ non detineantur in carceribus ordinarijs, sed in aliqua Ecclesia, aut domo priuata, & loco decenti cum custodia culpæ condigna.
66. Quòd ex quo attenda Præbendorum huius Ecclesiæ inopia, huiusque ciuitatis à cæteris distantia Præbendatus carceratus maximas passurus est molestias, & sumptus ex dilatione, quæ in casu discordiæ inter Episcopum, & Capituli adiunctos, contingere possit, tam circa articulorum determinationem, quàm circa electionem tertij, statuitur sub Sedis Apostolicæ beneplacito, quòd casu quo Episcopus discordet ab adiunctis, teneatur infra duos dies nominare tres personas sibi beneuolas, dummodo sint ex Religiosis cõmunitatibus in cõuentibus huius ciuitatis pro tẽpore existentibus, uel ex aduocatis publicis similiter huius ciuitatis, & adiuncti prædicti teneantur eligere unum ex tribus per Episcopum nominatis, qui sic tertius in articulo prædicto, si uerò Episcopus maluerint, quòd adiuncti nominent tres personas, poterit ipse vnã ex ijs eligere, & adiuncti prædicti teneantur eas infra duos dies ex Religiosis, uel aduocatis prædictis, & qui tamen aduocati Capituli non sint) nominare: sin autem Episcopus tres nominare, uel ex nominatis per adiunctos eligere recusauerit, tunc prædicti adiuncti deputent tertium ex personis supra dictis, & similiter si adiuncti vnũ ex tribus per Episcopum nominatis eligere, uel Episcopo ita uolente tres prædictos nominare recusauerint, tunc Episcopus ex Religiosis, uel aduocatis prædictis deputet tertium, qui iuret de iustitiã administrando, & articulum infra quatuor dies terminando.
67. Quandoquidem pro bono Ecclesiæ regimine expedir vt Decanus, uel Præsident habeat facultatem mulctandi Præbendatos, & Ministros delinquentes, ac statutis, & ordinationibus Ecclesiæ contrauenientes, statuitur quòd Decanus, eoque absente Præsident possit Præbendatum in Capitulo, uel choro, uel ubicumq; capitali uel congregati fuerint, dicto, aut facto delinquentem, & debitum ordi-

nem post monitionem sibi factam non seruata mulctare in emolumentis horarum vnus mensis lucratis, vel lucrandis.

- 68 Similiter Decanus, eoq; absente Præsidentis possit imponere poenā pecuniarum prædictæ Ecclesiæ Ministris, & officialibus quibuscūq; qui in choro, vel processionibus excefferint, & qui vbiicumque, & quancumq; officia sua adimplere neglexerint.
- 69 Si quis ex Præbendatis, aut Ecclesiæ Ministris in Ecclesia, cemeterio, vel in alio loco quocumq; aliquid contra auctoritatem Ecclesiæ eiusvè statuta, aut contra Capituli ordinis cōmiserit, possit Capitulum per viam correctionis, nullo desuper formato processu, extraiudicialiter sola facti veritate alicui ex Capitularibus cōmissa, eaq; ad eius relationem inspecta, mulctare poena pecuniaria, priuatione Capituli, aut alia maiori Capituli parti beneuifa: per hoc tamen non ligantur manus Episcopo, seu eius Prouisorum quominus delinquentem pro delicti qualitate puniant.
- 70 Quod prouisio, & collatio Cappellaniarum Don Stephani Rajon quam Decani spectet ad Capitulum iuxta ea quæ prædictus Decanus disposuit in suo testamento.
- 71 Quod Episcopus non possit ad domum suam vocare Capitulum, neq; vt ad eam Præbendati capitulariter accedant compellere.
- 72 Quod in negotijs, in quibus Episcopi votum requiritur, non teneatur Episcopus personaliter accedere ad Capitulum, sed in ijs casibus Secretarius Capituli accedat ad eius domum, ipsiusque votum petat, & in libro Capitulari describat, eiusq; fidem faciat.
- 73 Quod vbiicumq; consensus Episcopi, & Capituli concurrere debet, in casu discordiæ recurratur ad Metropolitanum, qui determinet vtrius voto standum sit, illudq; executioni mandetur omni appellatione remota.
- 74 Quod vbi commune Episcopi, & Capituli votum requiretur, tantum valere cenieatur votum Episcopi, quantum totius Capituli: votum autem maioris partis Capituli tantum valeat, quantum votum Episcopi.
- Quæ quidem omnia Capitula supradicta statuimus, & ordinamus per viam concordie statutorum, & alias omnibus melioribus via, & forma, quibus melius, & efficacius de iure locus sit in posterum obseruari, atque executioni mandari, prout in ijs, & eorum singularis continetur, & declaratur, non obstante prædicti R. P. D. Seraphini Oliuarij Rotæ Auditoris sententia, nec non executorialibus, ac decla-



rationibus, & Capitulis nuper à prædicto R. P. D. Laurétio Blâchetto  
Rotæ prædictæ Auditore ad fauorem dignitatis Episcopalis, ac De-  
cani, & Capituli prædictorum desuper emanatis, in quantum enim  
discrepant à Capitulis in hac concordia contentis nostræ voluntatis  
est renunciare executorialibus prædictis, ac pœnis, & censuris in ips  
contentis & ad iniucem cedere iura sententiæ executorialium, ac  
declaratoriam prædictarū in vigore alteri partium adiudicata, &  
alteri denegata, prout præsentium vigore cedimus, & renunciamus,  
Nos videlicet Episcopus prædictus ad fauorem Decani, & Capituli  
prædictorum: nos verò Decanus & Capitulum ad fauorem Episcopi  
eiusque in dignitate Episcopali pro tempore successorum, idque ad  
effectum vt vtrinque liceat in causis, & casibus expressis vt iure  
prædicto, prout in huius concordie Capitulis, ac eorum quolibet  
continetur, & non aliàs, & pro omnium, & singulorum supradictorū  
obseruatione nos obligamus in forma Camere Apostolicæ, & pro  
maiori robore Nos Don Antonius Zapata Episcopus Gadiceñ. ex  
vna, & nos Decanus, & Capitulum Ecclesiæ Gadiceñ. partibus ex  
altera iuramus per Deum, ad Sancta quatuor Dei Evangelia, nos-  
tris manibus tacta de obseruando concordiam prædictam, deque ei  
nullo vnquã tẽpore, neq; in aliqua eius parte contraueniendo: & sup-  
plicamus sanctissimo D. N. eiusque sancte Sedi Apostolicæ, vt con-  
cordiam, statutum, & constitutionem prædictam confirmare digne-  
tur, vt vtrinque etiam per successores nostros, prout supradictam est  
obseruetur, & executioni demandetur, & quilibet Episcopus huius  
sanctæ Ecclesiæ pro tẽpore exiitẽs teneatur ante adeptam possessio-  
nem iurare de obseruando concordiam prædictam, & id ipsum fa-  
cere teneantur, quicumque Præbendati huius sanctæ Ecclesiæ pro  
tempore recipiendi. In cuius rei testimonium præsentem scripturam  
capitulariter (vt supradictū est) congregati confici mādauimus corā  
Petro Francisco de Fresco huius sanctæ Ecclesiæ portionario, & præ-  
dicto Decani, & Capituli Secretario publico Apostolica auctoritate  
Notario, & proprijs manibus subscripsimus: Nos videlicet Episcopus  
prædictus, & pro Decano, & Capitulo prædictis, duo Canonici de nro  
gr emio prout fieri consuevit. Et ego Notarius prædictus fidem facio  
qualiter cognosco partes supra relatas. Datum in prædictis ædibus  
Capitularibus die Sabbati vegesima prima, mensis Februarij, anno  
millesimo quingentesimo nonagesimo tertio, præsentibus venera-  
bilibus, & discretis v̄ris Hieronymo de Cabra Presbitero Magistro

ceremoniarum Antonio Rodriguez Toro, & Ioanne Martinez de Cerantes Presbiteris, Petro Gaytan Clerico, & Didaco de la Peñuela, laicis iacolis Gadiceñ. Episcopus Gadiceñ. Ioannes Ochoa Termineli, Nonnius de Villauicencio.

Et quia ego supra dictus Petrus Franciscus de Fresco Presbiter, portionarius huius sanctæ Ecclesiæ Gadiceñ. ac Dominorum Decani, & Capituli Secretarius publicus Apostolica auctoritate Notarius in Archidio Romanæ Curie descriptus præmissis omnibus vnâ cū supra nominatis testibus presens interfui, ideo prædicta scribi mandauimus, meisque signo, & nomine consuetis signauimus, & subscripsi in testimonium veritatis rogatus, & requisitus Petrus de Fresco portionarius Secretarius, & Notarius. Cū autem Antonius modernus Episcopus, & Decanus, Canonici, & Capitulum prædicti cupiant dictam concordiam, transactionem, statuta, & constitutiones, præmissaque omnia, & singula pro illorum firma, & perpetua subsistentia Sedis Apostolicæ munimine roborari, ideo pro parte ipsorum Episcopi, Decani, Canonorum, & Capituli nobis fuit humiliter supplicatum quatenus concordie, transactionis, constitutionum, ac statutorum prædictorum Capituli Apostolicæ firmitatis robur adjicere, alijsq; in præmissis opportunè providere dignaremur.

**N**os igitur ipsos Episcopum, necnon Capituli huiusmodi singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt (dummodo in illis per annum non infortuerint) ad effectum præsentium dumtaxat consequenti in eam serie absolueñ. & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicatibus inclinati causam, & causas huiusmodi extinguimus, ac iuribus desuper perpetuum silentium imponimus, necnon concordie, transactionis, constitutionum, ac statutorum prædictorum capitula, Apostolica auctoritate nobis in hac parte sufficienter commissa, approbamus, & confirmamus, ac illis perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adjicimus, omnesque, & singulos, tam iuris, quàm facti defectus (si qui forsitan interuenerint) in eisdem supplemus decernentes partes, omnesq; alios ad quos spectat, eorumque successores in perpetuum ad concordie transactionis, constitutionum, statutorumq; præmissorum capitula obseruanda teneri, & obligatos esse. Quocirca dilectis etiam nobis in Christo Archidiacono Hispaleñ. ac Cantori Ecclesiæ etiam

Hispaleñ. necnon Commendatori Beatæ Marię Virginis de Mercede oppidi de Xerez Ciuitatis nuncupatæ Hispaleñ. diocesis per præfentes committimus, & mandamus quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorũ per se, vel aliũ, seu alios præfentes literas, & in eis contenta quęcumque, vbi, quando, & quorics opus fuerit, & quatenus pro parte pro tempore existentium Episcopi, Decani, Canonicorum, & Capituli, aut alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisq; in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate Apõstolica prædicta, easdem literas, & in eis contenta quęcumque; obseruari, necnon Episcopum, Decanum, Canonicos, & Capitulum huiusmodi illis pacificè vti frui, & gaudere, non permit- tentes eos, vel eorum aliquem desuper per quoscumq; contra earum tenorem quomodolibet indebitè molestari, perturbari, inquietari, vel impediri, contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, cęsuras, & pœnas Ecclesiasticas cõpescendo, necnon legitimis super ijs habendis seruatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas etiã iteratis vicibus aggrauando, reaggrauando, illasque incurrisse declarañ. inuocato etiã ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstantibus, scelicis recordationis Bonifacij Papæ Octauı, qua cauetur ne quis extra suam ciuitatem, & diocesium, nisi exceptis certis casibus, & in illis vltra vnã dietam sine suę diocesis euocetur, seu ne iudices à Sede prædicta deputati extra ciuitatē, vel dioceses, in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere, aut alij, vel alij vices suas committere præsumant, necnon de duabus dietis in Concilio generali ædita, dummodo vltra tres dietas aliquis vigore presentium uon trahatur, alijsq; constitutionibus, & ordinationibus Apõstolicis, sententijs, ac decretis prædictis, necnon Ecclesię huiusmodi etiã iuramento, confirmatione Apõstolica, & quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, ac literis Apõstolicis, cæterisq; contrarijs non obstañ. quibuscumq; Datum Matriri Toletañ. diocesis anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo sexto die vigesima mensis Ianuarij, Pontificatus prædicti S. D. N. Papæ anno quinto. C. Patriarcha Alexandrinus Nuncius, & Collegior generalis Apõstolicus. Antonius Bollo Abbreuiator.